



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

385. Quid circa resignationes recipiendas possit Legatus Apostolicus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

sed etiam in alijs spectantibus ad Cardinalem) beneficij illius resignati collatio, non ad Episcopum recipientem illius resignationem, sed ad dictum Cardinalem indultarium spectat, non secus, ac dum coram Ordinario fit resignatio in mensibus Papalibus, collatio beneficij resignati spectat ad Papam, & non ad Episcopum recipientem resignationem; quippe Cardinalis ille indultarius succedit in iure conferendi ipsius Papæ per indulgendum ab illo ei concessum. Paris. loc. cit. n. 28. & 29. citans Gabr. ubi antè, ac dicens communem DD. eò quòd, ut dictum, diversa sint receptio resignationis, & collatio beneficiorum, & hæc ei competere possit, qui non habet potestatem destituendi, etiam privativè ad eum, qui in iisdem beneficijs habet potestatem destituendi; dum etiam Papa ob maximam absolutissimamque in beneficiabilibus potestatem, possit auferre facultatem aliàs competentem Episcopo, eamque dare alteri, adeoque multò magis reservando eam alteri, antequam Titius fiat Episcopus, providere, ne Titius factus Episcopus eam adipiscatur. Paris. n. 30. Et licet aliàs in facultate data conferendi vacantia non comprehenderentur vacantia per resignationem (cujus tamen contrarium astruit Paris. n. 31. de ex. ex parte, de off. deleg. citato Bellamer. decis. 611. de preb. & c. idque eò magis, dum adderetur in indulto, ut addi solet, clausula: quomodocunque vacarint) adhuc tamen id non obstatet; cum Cardinali resignanti Episcopatum, non detur de novo illa facultas conferendi, sed indulgetur, ut quam antè habebat, possit retinere, ut Paris. cit. n. 20. in fine.

5. Respondeo quintò: Quidquid fuerit olim, hodieum omnino recessit ab aula, ut ad dictum Cardinalem Vicecancellarium in ullo casu spectet recipere resignationes. Paris. l. 7. q. 17. n. 5. ex Papezon. in addit. ad decis. Rota 3. de renunc. in antiq. n. 5. dicens ita praticari totà die.

Quæstio 385. Quid circa resignationes recipiendas possit Legatus Apostolicus?

1. Respondeo primò: Legati à latere (quales sunt Cardinales constituti Legati à Sede Apostolica) resignationes simpliciter & absolute factas recipere possunt. argumento c. si Abbatem, de elect. in 6. & c. 1. de offic. Leg. in 6. Pirh. ad tit. de renunc. n. 72. Laym. in c. present. §. prohibemus. n. 5. Paris. l. 7. q. 13. n. 15. citans Rebuff. in pr. tit. de resign. condit. n. 5. Gamb. de pot. Leg. à latere l. 6. n. 163. Abb. in c. ult. de renunc. nu. 4. Gemin. Franc. & alios communiter in cit. c. si Abbatem. Habent enim potestatem, uti instituendi (intellige in beneficijs suæ provinciæ, ad quam mittuntur) ita & destituendi. Garc. p. 1. c. 8. n. 252. citans Coraf. de benef. p. 1. c. 8. n. 13. cum sicut honoris prerogativà latantur, sic eos auctoritate decet fulgere ampliore. cit. c. 1. de off. Leg.

2. Respondeo secundò: quoque recipere resignationes possunt, quæ sunt permutationis gratiæ, Laym. loc. cit. Paris. l. 7. q. 13. n. 16. citans Bellam. tr. de permut. benef. Gamb. de pot. Leg. l. 5. tit. de permut. n. 2. Quemadmodum conferre possunt beneficia omnia, & in collatione prævenire Ordinario, juxta dicta aliàs, & non minùs quàm illi est collator ordinarius, juxta dicta aliàs ex Tond. qq. benef. p. 2. c. 3. §. 6.

3. Respondeo tertio: Resignationes tamen

factas in favorem, vel aliter conditionatas recipere nequit. Pirh. Laym. ll. cit. Paris. loc. cit. n. 17. citans Gamb. ubi immediatè antè. & Rebuff. in pr. tit. de resign. condit. n. 5. Tond. loc. cit. n. 18. sed neque potest tales resignationes conditionatas rejecta conditione admittere, quasi factas simpliciter, juxta dicta paulò supra. Pirh. loc. cit. citans Rebuff. ubi antè n. 7. Barb. juris Eccles. l. 3. c. 15. n. 28. Tond. loc. cit. Limitatur tamen responsio, nisi ad recipiendas conditionatas resignationes Legatus vel Vicelegatus de latere habeat specialem & expressam facultatem. Pirh. loc. cit. Tond. l. c. qui tamen addit, quidquid sit de facultatibus Legationis, se non vidisse praticatam hanc formam legationis in favorem; certumque esse, quòd in Gallia non admitterentur provisiones in vim talium mandatorum conditionalium ab eo factas; quamvis p. 3. c. 200. dicat, Legatum vel Vicelegatum Avenionensem habere potestatem, quascumque & quorumcumque beneficiorum resignationes recipiendi.

4. Respondeo quartò: Sed neque Legati à latere potestatem habent, alicui, seu in genere, seu in specie dandi potestatem, ut beneficiorum resignationes (intelligendum videtur, etiam simplices) accipiat, & beneficia resignata conferat idoneis. Laym. loc. cit. n. 1. Paris. cit. q. 13. n. 18. citans Jo-And. in rubric. de renunc. n. 7. & remittens ad q. ult. l. 7. eò quòd occasione talis commissio nis vacatio beneficiorum modis illicitis procurari posset contra tex. c. 2. de concess. preb. quamvis tamen Legatus talis alicui committere possit resignationis receptionem, & postquam ea recepta est, eidem committere, ut personæ idoneæ conferat. Laym. loc. cit. junctà Gl. hic. communiter receptam.

5. Respondeo quintò: Alii verò Legati, tam missi (qui Nuncii Apostolici dicuntur) quàm nati non habent potestatem recipiendi resignationes, ne quidem simpliciter factas. Pirh. cit. n. 72. Paris. cit. q. 13. n. 9. quia non habent facultatem instituendi & destituendi beneficijs suæ provinciæ, juxta c. 1. de offic. leg. in 6. Paris. n. 10. Limitanda tamen responsio: nisi ad hoc habeant specialem facultatem, uti eam habere quandoque solent ad certum numerum beneficiorum. Pirh. loc. cit. Paris. n. 11. qui etiam n. 13. subjungit juxta decis. Rota facultatem datam Legato conferendi & recipiendi resignationes non extendere se ad canonicatus cathedrales, nisi fortè data fuisset per verba: quæcumque & quælibet, uti etiam, ut Paris. n. 14. facultas data his Nuncijs, ut possint reservare pensionem ex causa resignationis cedentibus, vel alijs personis, non includit, ut possint admittere resignationes in favorem. Notandum quoque, quòd dictam facultatem recipiendi resignationes non habeant vi legationis suæ, cum aliàs eam habeant, si sunt Episcopi, pro Episcopatibus suis.

Quæstio 386. An Archiepiscopus seu Metropolitanus possit recipere resignationes beneficiorum existentium in diocesis suis suorum suffraganeorum?

Respondeo negativè; cum ordinariè jurisdictionem in illis non habeant, juxta c. pastoralis. de off. jud. ordinar. Pirh. ad tit. de renunc. n. 73. cum communi.